

# Vita Ioannis Grynaei, [...] designata a Io. Ludovico Frey, [...]

Autor(en): **Frey, Ludwig**

Objektyp: **Article**

Zeitschrift: **Museum Helveticum ad iuvandas literas in publicos usus apertum**

Band (Jahr): - **(1746)**

Heft 1

PDF erstellt am: **07.07.2024**

Persistenter Link: <https://doi.org/10.5169/seals-394572>

## **Nutzungsbedingungen**

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern.

Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden.

Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

## **Haftungsausschluss**

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.



V I T A  
JOANNIS GRYNÆI,

*S. Theol. Doct. et Prof. in illustr. Basil. Acad.*

Designata

a

JO. LUDOVICO FREY,

*itidem S. Th. D. et Pr. P. in inclyt. hac Acad.*

**D**Urum mihi Pietatis officium impositum est, quod a me postulat, ut beati nunc GRYNÆI curriculum Vitæ usque ad beatam ejus ἀνάλυσιν brevi adumbratione persequar: Quam difficile hoc mihi sit exequi, verbis nullis exprimere queam: ita enim acerrimum dolorem mœroremque vix aliquatenus sopitum, quem ex carissimi Capitis jactura percepi, renovare & nondum obductam cicatricem refricare cogor. Ita tamen affectui & calamo imperabo, ne quid præter exactam veritatem de dotibus & virtutibus τοῦ μακαρίτη, si ulli mortalium, mihi certe ex longissimo & intimo usu percognitis in majus extollam.



SEC. CURIONEM. Nominamus dein atavum nostri SAMUELEM, Jurium apud nos Professore celeberrimum, Syndicum civitatisque in dubiis Oraculum, qui tot creasse Doctores Juris legitur, quot dies colligit annus. Tandem et qui primus literarum decus huic familiæ intulit, SIMONEM, nostri Tritavum, Philosophum, Philologum & Theologum plane suo ævo eruditissimum, OECOLAMPADII nostri, a quo huc ad Professionem Gr. Ling. vocatus fuerat, ERASMI, MELANCHTONIS aliorumque Principum inter Reformatores Virorum familiarem, ipsumque inter b. Reformationis Auctores haud postremum. Et quemadmodum genus ejus paternum eruditionis & pietatis laudibus, ita maternum meritorum in Remp. gloria eminuit. Avus maternus ipsi contigit Vir magni Consilii, prudentiæ, dexteritatisque JO. JAC. FESCHIUS J. U. D. Archigrammateus, & Scholarcha gravissimus, qui & ipso Avo JO. RODOLPHO, Proavo REMIGIO FESCHIIS, utrisque Reip. nostræ COSS. amplissimis, Viris præclarissimis animi dotibus virtutibusque, sed & summis in Civitatem nostram meritis spectatissimis, natus fuit; ne quid de hujus Socero, Ampliff. Tribuno plebis, ANDREA BURCARDO, nostri Proavo, stirpeque hac florentissima dicam.

Ut vero ad nostrum redeam, qui genus & Proavos et quæ non fecimus ipsi, vix ea sua putavit, quum paulo plus quam anniculo Parens Optimus præmaturo fato ereptus esset, cum Matre vidua, ipsi perpetuo carissima, & ejus longe studiosissima, in urbem delatus, primis literarum  
 ele-

elementis in inferioris Gymnasii classibus imbutus, eam jam tum vim mentis, in tenello quamvis corpusculo, & magnis cum infirmitatibus conflictante, ostendit, ut non modo An. MDCCXVII Examine verno magna cum laude ad Lectiones publicas fuerit admittus, sed et periti ingeniorum æstimatores nihil non præclari de illo jam tum augurarentur. Privata interim institutione usus, primo quidem Viri pl. Rever. JO. HENRICI BRUCKERI, tunc S. M. C. nunc vero Archidiaconi in Summo Templo meritissimi, deinde Viri Excell. NICOLAI HARSCHERI, Oratoriæ Præfacundissimi, Ord. Sapient. h. a. Decani dignissimi, adjuncta propria industria, An. MDCCXVIII Examine autumnali primæ Laureæ gradum, Anno vero MDCCXX Examine verno Liberalium Artium Magisterii honorem adeptus est. Paulo post quum de eligendo, cui Noster se præcipue daret, certo studiorum superiorum genere deliberaretur, ejusque animus pietatis studiosus in Sacra propenderet, passus est, eorum auctoritate, quibus refragari nefas fuisset, accedente pectoris debilitate robustiores S. Ministerii labores minus ferentis, eo se induci, ut studium utriusque Juris amplecteretur; ubi præter Lectiones publicas, privatas quoque Ampl. Viri FRANC. CHRISTII J. U. D. et postea Professoris dignissimi, *H. Grotii* Libros de J. B. & P. tum etiam Institutiones, & magnam Digestorum partem solidissime enarrantis, audivit: Translato vero gravissimo illo Viro ad ampl. Archigrammatei munus in Rep. obeundum, partim privata industria, partim Celeb. Jurisconsulti nostri JO. WETSTENII b. m.

opera adjutus, studiorum Juridicorum cursum absolvit, Licentiam summorum in utroque Jure honorum petendorum ab Ampliff. Ordine post præmissa Examina An. MDCCXXIII legitime consequutus: quantoque jure id honoris Ipsi fuerit collatum, Theses ejus juridicæ An. MDCCXXV magno cum plausu publice defensæ monstrarunt.

Paulo ante hæc tempora, quum in Legum Justinianæarum studio versaretur, ingenti Legum quoque divinarum perscrutandarum desiderio flagrare cœpit, eapropter, ut solitus erat ea, quæ ipsi cordi fuerant, non obiter & per transennam inspicere, sed penitus et e fundamentis eruere, Linguæ Hebrææ, quo idiomate maxima Scripturæ et Legum divinarum pars exarata est, perdiscendæ navare operam voluit. Hic meam quum flagitasset operam (qua primum occasione in ejus notitiam perveni) miratus ego studiosam generosamque indolem, sed et mox acre ingenium, subactum judicium, ingenii singularem perspicaciam, veræque pietatis exquisitissimum sensum, constitui mecum & firmiter apud animum meum decrevi, propitio Numine, cujus singularem Providentiæ ductum in toto hoc negotio non potui non agnoscere & venerari, in excolenda tam felici planta nihil reliqui facere. Non ergo in elementis Biblicis, quamvis eo præcipue tendebat institutum nostrum, hæsimus, sed late vagati magnam Orientis partem percurrimus, & præter *Rabbinica Talmudicaque* studia, *Chaldaicam Syriacamque*, tandemque ipsam, amplitudine & ubertate reliquas omnes simul sumtas longe superantem *Arabicam* Linguam singulari studio pertractavimus,

vimus, inque ista non tantum *Alcoranum*, sed, quem GOLIUS metam Arabismi statuerat, *Arab-schiadem* non perfunctorie perlustravimus. Progressus cum illo fuisset ulterius ad *Persica* & *Aethiopica*, nisi ita movisset mentem illius Deus, ut maluerit tandem a studio Linguarum ad studia rerum transire. Ita nimirum in Lectione & diligentiore enucleatione S. Literarum, eo illarum amore captus est, ut reliqua ei studia paulatim inciperent frigescere, penitusque se daret rerum Theologicarum cognitioni, cui studia illa orientalia jam mirifice inserviebant. Amplam consequutus Theologiae notitiam, re mature & invocato Numine diligenter expensa, constituit tandem ad exemplum summorum Theologorum CALVINI, BEZÆ, JUNII, OLEVIANI, aliorum, relicta Jurisprudentia, studio sacrorum unice aut præcipue incumbere: nec ulterius morandum ratus Anno MDCCXXXI nomen inter Cultores nostræ Theosophiæ apud τὸν πᾶνν b. ISELIIUM, illius anni Decanum spectatissimum Matriculæ inscripsit. Cum ille Vir summus paululum hæsitaret, Eique longe majora animo destinaret, offerens Matriculam Candidatorum Theologiæ, passus est tandem ab ejus Modestia se expugnari, ut Ipsi morem gereret, ita tamen, ut insigne Virtutis et Præstantiæ ejus elogium sua manu nomini illius in Matricula adlineret. Ab eo tempore usus Venerandorum Collegarum consiliis, nec meam qualemcunque tantum non quotidianam opellam studiumque aspernatus, in studiis sacris, hisque famulantibus bonis Literis, & piis precibus pernox perdiusque eam adsecutus est, juvante divina Gra-

tia, Eruditionis Theologicæ copiam, ut in Speciminibus longis, arduis & numerosis, nuper Venerando Conventui, dein etiam Publico exhibitis cunctos in sui amorem et admirationem rapuerit; Patres vero Acad. ita ceperit, ut Sapientissimo Numinis arbitrio rem moderante, miro favore Spartam Theologicam vacantem ὁμοθυμαδὸν Ipsi decernerent. Ita demum quid parturirent fata, quidque acris ille pietatis sensus, quo a pueritia Ipsum sanctificavit Dominus, quid rarissima illa Spiritus charismata portenderent, liquido patuit; nempe ad exemplum Jeremiæ Prophetæ, *antequam formasset eum in utero, agnovit eum Deus, & antequam prodisset ex vulva, sanctificavit eum; nunc vero Prophetam & Doctorem constituit eum.* Jerem. I: 5.

Nec vero dum Studio Theologico insudavit, Philosophicarum aut Philologicarum Artium subsidia abjecit: Cujus rei trina Specimina Publico exhibuit; editis & publice defensis Thesibus doctissimis An. MDCCXXVII pro vacante Cathedra Philos. Moralis; An. MDCCXXXI pro Cathedra Logica, & Ann. MDCCXXXIII pro Cathedra Linguæ Hebrææ; quibus omnibus ita Ampliff. Proceribus placuit, ut cum de Vicario Cathedræ Hebrææ in consilium iretur, haud diu deliberandum rati, in illum unum oculos conjicerent, Eique id muneris perhonorifice ultro deferrent, cui etiam magna fide & diligentia, quin & multo cum studiosorum fructu lætus lubensque vacavit.

( Ne peregrinas inviseret oras duo obstiterunt, tum quod sæpius infirma uteretur valetudine,

ne,



ne, tum quod carissimam Parentem cum continua fere invaletudine colluctantem deserere in pro-  
 vecta ætate Pietas vetaret: Anno tamen MDCC-  
 XXVIII aliquot mensium excursionem Helvetiæ  
 nostræ partem peragravit, atque tum Bibliothecas  
 publicas, *Tigurinam* & quæ in *S. Galli Cœno-*  
*bio* asservatur, curiose perlustravit, tum etiam  
 Viros eruditos illarum Urbium HOTTINGE-  
 RUM, CRAMERUM, WEGELINUM saluta-  
 vit: Longius iter literarium in Belgium aliasque  
 peregrinas oras hoc ipso anno ineunte vere sus-  
 cipiendum, animo meditatus, huic nisi consilio  
 manum injecissent Fata.)

Diademate Doctorali ad d. XXX. Jan. An.  
 MDCCXXXVIII. exornatus, confestim sibi de-  
 mandatum munus Profess. Controv. & Locorum  
 Commun. inaugurali Lectione *de modo rationeque*  
*disceptandarum Quæstionum Theologicarum* ad d. IV.  
 Febr. magno cum applausu habita publice aggres-  
 sus est: Cui sacrum hoc munus auspicienti sequen-  
 tibus versiculis acclamavit Frater conjunctissimus  
 SAM. GRYNÆUS P. W. & Cam.

*Omne genus studii postquam tractaveris, en Te  
 Numen propitium Sacra docere jubet.*

*Sic, Dilecte, tuas impendis maxime dotes,  
 Ut laus ejusdem Numinis inde cluat:*

*Sic labor assiduus, quem audacter suscipis, idem  
 Utilis est aliis, utilis atque Tibi:*

*Sic Tritonus per Te reviviscit, sacula qui jam  
 Ante duo nostra clarus in Urbe fuit.*

*Esto & Tu Patriæ splendor longævus, & esto  
 Deliciæ nostri Nominis atque Decus.*

Ab eo tempore noster Lectionibus publicis Examen Controversiarum cum Pontificiis præcipue sibi tractandum sumsit, quas ad certa quædam generalia capita revocatas, intra biennii fere spatium perspicue solideque discussit absolvitque. Defuncto An. MDCCXL pl. Vener. Seniore nostro SAMUELE WERENFELSIO, non tantum Academiae hujus Ecclesiæque, sed & Orbis Doctore Lumineque splendidissimo, cum ad me ab Ampl. Senatu Academico per ipsius mortem vacans deferretur Professio N. T. maluerimque ego ad exemplum quorundam nostrorum Antecessorum in mea Vet. Test. Professione permanere, ad Ven. GRYNÆUM itum est, oblata eidem illa Professione, quam & acceptavit, una cum annexo officio Canonici Petri, ad quod tamen ægre adduci potuit. Auspicia novæ Professionis pro more apud nos recepto, ad d. XV Nov. ejus anni, Lectione inaugurali publice habita de *Præsidis, quibus instructum esse oportet Novi Fæderis Librorum Interpretem*, fecit: Lectionibus dein ordinariis, Epistolam *Pauli primam ad Timotheum* non quidem amplo Commentario, sed solida & perspicua verborum rerumque expositione, id præcipue curans ne à proposito boni Interpretis deflecteret, ad captum Studiosorum enodavit, huncque laborem bono cum Deo paucis ante obitum ad umbilicum perduxit: in animo habens postea, ni intercessissent Fata *Librum Actor. Apostol. D. Lucae* eodem modo enarrare atque illustrare.

In privatis Institutionibus, præterquam quod nonnunquam manuactionem & consilia Hebraicarum

carum Orientaliumque Literarum Cultoribus fidelissime præbuit, Theologiam integram variis vicibus tradidit, usus ad hoc Compendio Theolog. pl. Ven. & Cel. JO. FRID. OSTERWALDII, aut ipse sibi methodum ordinemque quam commodissime hanc Sacram Scientiam docendi præformans. In omnibus id præcipue operam dedit, ut studiosos non tam rara & inutili Eruitione imbueret, quam ut solide doctos, & accurata rerum capitalium cognitione, sed et genuinæ Pietatis sensu instructos efficeret, rixosam et bonæ frugis vacuam Theologiam cane pejus et angue exosus. Nec duntaxat in ordinariis suis Institutionibus perspicua, facili & solida Theologiam docendi ratione utebatur, sed et quibuscunque posset modis Studiosorum conatus lubentissimo animo juvabat, methodum studiorum suggerendo, Libros utiles indicando, dubia scrupulosque eximendo, incitando, monendo, laudando, exhortando, ubicunque sese ad hæc præbuit occasio: qua re factum est, ut non modo felices laborum successus non sine lætitia videret, sed et studiosi tenerrime ipsum amarent, in ejus fide, peritia, prudentiaque singularem plane fiduciam reponentes.

Solent & alia Officia Dignitatesque Professiones nostras ex antiquo more comitari: quam bene hic non lubet disquirere: *ὁ μακαρίτης* noster, tametsi tum propter crebras infirmitates, tum propter mirificam interruptionem studiorum, quæ ex alienis his officiis non potest non consequi, lubens iis caruisset, nihil tamen horum, volente id ita Ampl. Senatu Academico, cum et ad ejus-

modi negotia longe esset aptissimus, defugit. Ut nihil de Judicis in Consistorio Officio, de Fiscalium administratione similibusque dicam: in Senatum Academicum Anno MDCCXXXVIII allectus, mox etiam Dignitatibus hujus Ordinis admotus est. Decanatum Facultatis nostræ tribus obiit annis, illoque ipso, quo nobis ereptus est: Munus vero Rectoris Magnifici (quæ summa Dignitas est, ad quam nostri Ordinis homines in Academia adspirare possunt) An. MDCCXLII tantum non invito ab Ampl. Proceribus Academicis impositum est. Quanta perspicacia, prudentia, fide & rerum gerendarum dexteritate polleret GRYNÆUS, si antea non constitisset, certe in cunctorum horum munerum sapientissima & fidelissima administratione, utut cum frequentibus imbecillæ valetudinis interruptionibus conjuncta, luculenter patuisset.

Eodem modo in Conventibus Ecclesiasticis, & quæ vocant, Capitulis, in quibus omnes Urbis Pastores & Ministri coeunt, ad negotia sive cum Ecclesiis exteris sive horum locorum procuranda, sese gessit: cordatum ubivis, prudentem, veritatis, pacis, pietatisque perstudiosum & gravem exhibens Theologum, qui non ad placitum hominum, aut honoris aucupium, sed ad Gloriam Numinis, Ecclesiæque profectum cuncta sua dirigeret consilia.

Cum exteris, præcipue Helvetiæ & vicinarum regionum Theologis, Viris Gravissimis, de Ecclesia meritissimis, & nostrum utrique amicissimis frequens Ei de rebus arduis, ad rem Theologicam aut Ecclesiasticam spectantibus, intercessit

fit Literarum commercium : inter quos eminent, *Tiguri* pl. Vener. Theologi LAVATERUS & ZIMMERMANNUS, adhuc per Dei gratiam superstites: ac, quem fatum jam occupavit ὁ νόϋν ἐν ἀγίοις, Theologiæ Biblicæ Professor integerrimus HENRICUS NEUSCHELERUS : *Bernæ*, multis nominibus Clariss. Theol. SCHEURERUS: *Schafhusii*, Celeb. et Erud. HURTERUS : *Heidelbergæ* denique, ne plures jam allegem, de Pietatis & sinceræ Theologiæ studiis præclare meritis HOTTINGERUS : qui ut plurimi fecerunt pro merito GRYNÆUM nostrum, ita inopinatum ejus obitum se gravissime tulisse, missis literis testati sunt.

Accedo ad extremum hunc Actum, quem non minus præclare, quam reliqua Vitæ officia peregit. Sex fere septimanis ante b. ἀνάλυσιν ejus, cum in horto nostro deambularem, mihi que videretur valetudine uti satis bona pro statu hominis valetudinarii, vultu ad severitatem composito, Sibi, ait, constare, finem Vitæ proxime imminere: Dominum adesse, qui se propediem ex hoc mundo evocaturus esset : res se propterea suas in ordinem redegisse, & supremam suam voluntatem scripto consignasse, quo omnibus hujus vitæ curis exemptus tanto alacrius Domino occurrere queat. Quam ego ad tam inexpectatum sermonem carissimi Collegæ, quem mihi oculos compositurum, ut par erat, sperabam, fuerim perturbatus, quidque regesserim, non opus est dicere: perstabat tamen in sententia, & postridie in meum veniens Cubiculum, iterabat eundem sermonem, dicens, se certo sci-

re,

re, propediem se rebus mortalibus exemptum iri: nec ab eo tempore quidquam de hujus vitæ negotiis, immo ne quidem alias sibi carissimis studiis, amplius audire voluit. Sive jam eam fiduciam et certam persuasionem, ex indiciis interioribus instantis morbi; sive ex cœlesti monitu, eidem suggerente, *Dispone Domum tuam, quia omnino moriturus es*, hauserit: certe firmus & nullis rationibus ab hac sententia dimovendus perstitit, quamvis id ego tum non admodum probabile arbitratus fueram; biduo post invadit ipsum, sed longe majori violentia, quam alias, pectoris pulmonumque oppressio cum sævissima ἀιματηρική conjuncta, quæ tantum non ei filum vitæ abscidit. Accersitus Medicus, Vir Experient. JO. ROD. ZWINGERUS omnem artem suam in sanando tam caro Capite insumsit, & vim morbi ad tempus feliciter propulsavit, quamvis ægrotus ob virium imbecillitatem lecto se committere cogebatur. Videbatur interdum meliuscule habere, nec omnis spes recuperandæ valetudinis nos deslituerat: verum identidem ipsum repetens malum, ut viribus plane prostratis, nihil amplius efficaciam haberent remedia, tandem nobis omnem fere spem valetudinis ademit. Interea in Urbem venit Vir pl. Rever. & Clar. SAM. GRYNÆUS, Pastor Ecclesiæ Wintersingensis, Frater nostri ut amantissimus ita et ei dilectissimus, qui præter omnem expectationem, cum sospitem crederet Fratrem, lethaliter decumbentem reperit. Hic, ut eo melius juvaret carissimum Fratrem, in ædes meas sese conferens, & ad lectum ægroti diu noctuque assidens, omnia eidem, quæ sive ad ani-  
mi

mi solatium sive ad corporis curam spectant, & ab amantissimo Fratре exspectari possunt, fidelissime usque ad beatum ejus obitum administravit.

Qualem se in universa Vita, talem se in extremo hoc actu præstitit, pium, placidum, Deo devotum, constantem: utut acres nonnunquam essent dolores, ne minimum quidem indicium impatientiæ de se dedit: Sermo rarus ob infirmitatem: at quæcunque proloquebatur, animum humilem, mundana exosum, superna quærentem, Deum Christumque anhelantem ostendebant. Ah quantum delectabatur, cum ad lectum prostrati, præeunte Verba Rev. Fratре, preces pro eo aut cum eo ad Deum effudimus! Quoties me rogavit, ut aliquid ex Psalmis Davidicis, aut Sermonibus Domini et quidem lingua originali recitarem, aut sermonem statui suo conformem ex Scriptura S. sed ob imbecillitatem, brevem, eidem haberem! Cum aliquando lecto ejus affiderem, illumque ego somno sopitum paululum quiescere putarem, subito incepit has lingua latina proferre voces, quasi ex somno experrectus: *Te, o Domine JESU, desidero, Te anhele: nosti cor meum: nosti me Te semper desiderasse.* Eundem servavit tenorem usque ad finem. Cum sub ferum noctis diem fatalem antecedentis, pauxillum quietis capturus, ab eo recessissem, summo mane iterum vocor ab ancilla, Herum in extremis versantem, sermonem & sensum jam amisisse clamante: accurro protinus: Ille ad meum accessum iterum oculos aperire, & mirantibus cunctis clara voce: Nonne, ajebat ad me, existimasti V. V. hunc extre-

tremum esse meum agonem : ah quando venit Dominus! Noli, respondebam, mi amicissime, animum abjicere : non Te deseret Dominus: (a) א arripiens Ille sermonem, Prophetæ dictum absolvit: כי בוא יבוא לא יאחר *Si tardaverit, exspecta eum : quia certo venturus est, nec morabitur.* Hæc erant ultima verba, quæ ex ore ejus excepi, plane gemina iis, quæ paulo ante morbum mihi tam fidenter dixerat. Hic iterum quievit, quasi somno sopitus. Exactis aliquot horis, incidit ultimus Agon, & preces fundente Rev. ejus Fratrem, pia hæc anima in Domino placide exspiravit ad d. XI Apr. MDCCXLIII Anno ætatis XXXIX in his terris nondum completo : Corpus triduo post terræ mandatum, & prout ipse desideraverat Tumulo meo illatum, Orationem funebrem habente Viro pl. Vener. Pastore Ecclesiæ Leonhardinæ, EMANUELE RYHINERO, cura Rev. Fratris typis postea excusam : qui et ibidem memoriæ desideratissimi atque unici Fratris Epitaphium cippo incidi curavit.

Vir erat GRYNÆUS noster præclaris & prorsus eximiis rarissimisque & naturæ & Gratia donis virtutibusque ab omni boni Autore Deo O. M. condecoratus, quæ summo studio ac ardore nunquam non quam diligentissime excoluerat, ut, si visum fuisset Numini filium eidem vitæ protrahere, Summum Ecclesiæ Academiæque Doctorem Columenque medias inter corpusculi infirmitates daturus fuisset. Verum prohi dolor, *Ostendere terris hunc tantum fata, neque ultra esse sivere:* (b)

(a) Habac. II. 3. (b) Virg. Aeneid. VI,



Nimia hæc nostra felicitas fuisset visa , propria hæc si dona fuissent.

Memoria felix fidaque, non modo velociter cuncta arripiens , sed et facile retinens & dextre reddens. Ingenium promptum , subtile et mirificæ sagacitatis, ut vel ex minimis datis in intima rei viscera celerrime penetraret, & longam consequentiarum seriem nullo negotio pervideret. Hinc nullam disciplinæ seriæ atque utilis genus erat, a cujus aditu aut etiam recessibus interioribus tanta perspicacia excludi arcerique posset : & si in artibus, in quibus vis imaginationis præcipue valet, ut Musica aut Poësi, non ita multum progressus est, aut progredi noluit, tanto felicius sibi ab illusionibus Phantasiæ cavit, & seria studia tractavit. Judicandi autem facultas in eo longe erat acerrima & exquisitissima, ut vel minimas rerum dissimilitudines accurate a se invicem discerneret, quæ quam maxime confusa facile in ordinem redigeret, quid ex quoque consequeretur, quid cum hoc aut illo commune, quid dissentaneum esset, illico pervideret : unde et in oratione ejus omnia optime digesta & ordinata : omnia etiam paucis verbis expressa, perspicua & plana : quamvis, si vellet, uberiore etiam sermone facile uteretur, ubi circumstantiæ aut auditoris conditio id flagitabant.

Tam sagax & industrium ingenium in quamplurima studiorum genera sese effudit, ut quidquid utile, quidquid solidi continerent, addisceret. Nec labris tantum extremis degustavit, sed  
 in

in penitiores illorum studiorum, quæ ad scopum suum, ad veræ Religionis cognitionem imprimis facerent, recessus sese immerfit : &, quæ semel aggressus est, porro excolere & amplificare non destitit. Unicum excipio Juris Civilis studium, olim feliciter ab eo tractatum & cum plausu, postea vero, cum se Theosophiæ nostræ in solidum devovisset, plane abjectum, venditis etiam Libris eo fervientibus. Juris, inquam, Civilis et Romani: quæ enim ad Juris Naturæ Scientiam, in qua singulariter excelluit, pertinent, illa tanquam ad cognitionem Theologiæ Practicæ, & ad Atheorum Systemata convellenda apprimis utilia, persequi perrexit.

Philosophiæ totius, ad quam per naturæ indolem meditationis amantis, quasi erat factus, magnam sibi comparavit notitiam. Historiæ tum veteris tum novæ, una cum antiquitatibus & consuetudinibus variarum gentium eam habuit peritiam, ut nihil facile proponi posset, quod ipsum penitus fugisset. Præter Vernaculam & Gallicam Anglicamque Linguas, quas exacte calluit, præprimis operam posuit in addiscendis illis Linguis, quas præter utilitates alias, Sacra nostra Studia mirifice juvare non nescierat, Græcam puta Latinamque & Orientales, Hebraicam nim. Chaldaicam, Syriacam & Arabicam. Nec vero in primis Elementis hic hæsit: Sed penitus illas, ut nihil alicujus momenti perfunctorie tractare consueverat, cognoscere curæ habuit: cujus forte specimen Publico apparuisset, si quem incepit Tractatum Mischnicum *Basa Mezia* Latino idiomate donatum, notisque ex Gemara & aliunde  
illu-

illustratum, cujus pars in manibus nostris versatur, absolvere licuisset: in Arabicis autem ita erat exercitatus & subactus, ut plerosque Libros hoc idiomate exaratos, qui hucusque lucem viderunt, etiam difficiliore, ut Alcoranum & Historiam Timuri ab *Arabschiade* elegantissime conscriptam, diligenter pellegerit: Sed et cum Nobilissimus FAHD, Sidonis incola, qui præter Vernaculam, Arabicam, nulla alia Lingua utebatur, hic nobiscum familiariter per hebdomadæ spatium versaretur, noster hic et commode loquentem intellexerit, & ei eodem sermone responderit: quin et post discessum hospitis hujus, cum ille tum Tiguro, tum ex Italia, Literas ad nos Arabicas daret, voluit & GRYNÆUS noster eodem idiomate respondere.

Verum præ omnibus studiis, quæ varia tractavit, inprimis ei placuit Theologia, cum universo consortio ejus: hanc Divam efflictim amavit, coluitque: ad hujus culturam, quidquid capacissima mente complectebatur, quidquid literarum ex amplissimo apparatu in penum suum redigebat, totum retulit. Non contentus una hujus specie, omnes singulari animi contentione perquisivit, Historicam, Criticam, Elencticam, Dogmaticam, Practicam, Scripturariam &c. a Polemica, tametsi ad eam per mirificam illam, qua pollebat, sagacitatem ingenii, & judicii *ακριβειαν*, adde & mentis serenitatem tranquillitatemque, inprimis aptus esset, ut tractatio Controversiarum Pontificiarum abunde ostendit, suo quasi genio atque indolis bonitate ad pacem & amicitiam facta, rixas vero et contentiones cane  

G pejus

pejus & angue exosa, plane abhorruit: controversias autem cum Fratibus ejusdem fidei confortibus ne quidem attigit. nisi si quid ad Pacem & Concordiam stabiliendam conferre se posse crederet. Nec tamen neglexit, immo vero quam diligentissime & accuratissime persequutus est illas quæstiones difficultatesque, quas in opprobrium sæculi Viperarum progenies, Incredulorum variatio, ad pessumdandam universam Religionem aut saltem Revelationem, sive ex orco revocavit, sive ex proprio sed impudentissimo ingenio, prima protrusit. Egregiis ad hoc instructus subsidiis, fortiter in tam durum ibat hostem.

Tum vero præcipue animo lætitiâ capiebat, & quasi in suo campo versari sibi videbatur, quando aut Veritas Evangelii, divinaque Dignitas et Autoritas S. Scripturæ esset confirmanda comprobandaque: aut ipse hic cœlestis Liber secundum veram Autoris mentem, comportatis cunctis ad hoc conducentibus auxiliis subsidiisque, illustrandus enodandusque: aut denique piæ Christianæque Vitæ ratio, & concordia Ecclesiarum tradenda promovendaque. In hæc animum intendebat: ad hæc conatus, labores, curas, quanto poterat studio & ardore dirigebat.

Magna fuere & præclara, quæ de GRYNÆI dotibus et doctrina hucusque dixi: at exigua, si cum Pietate illa eminente, cum Virtutum Christianarum omnium choro, cum singularibus Gratiæ donis, quibus erat conspicuus, conferantur. Ut ipse eruditionem etiam summam & naturæ præclarissima dona sine sensu Numinis & Religionis, merum fumum & vanitatem, immo arma in

manu

manu furiosi, quibus seipsum aliosque fauciat, esse statuebat, ita in id præcipue incumberebat, ut omnibus genuini Christiani & veri Doctoris Evangelici Virtutibus ornatus esset. Acerrimo præditus sensu Numinis, ad illud omnia dicta factaque retulit: in omnibus ad illud respexit: non quidem Pharisaico more sanctissimum ejus nomen & piarum phrasium longam fastidiosamque seriem perpetuo in ore gessit: sed intra se tacite cunctas cogitationes, consilia, curas ad Deum direxit. Ex hoc ipso ardenti Pietatis studio factum est, ut paulo junior ad illud genus hominum inclinaret, patulasque illis præberet aures, qui prætextu insolitæ Pietatis ab aliis etiam pientissimis sese segregare amant: verum cassibus istis irretitus non diu hæsit: pro exquisita sua judicandi facultate facile perspexit, quam hæc fucata Religionis facies ab illa genuina in S. Literis prodita *δις διὰ πασῶν* differret: quamvis verò animum benignum erga illos, qui pio studio sed cum errore conjuncto ferri videntur, semper retineret, res tamen suas sibi habere jussis illis, tanto majore cura genuinam Pietatis indolem ex S. Scriptura sibi discendam statuit, & paulo post, relicto Juris studio, Theologicum studium arripuit.

Ex hoc eodem Pietatis vere Christianæ assiduo studio reliquæ Virtutes longo comitatu enatæ fuere, quas prolixè enumerare, ne videar velle aliquid affectui dare, & quum nemini non notæ sint, omitto: quis enim, qui vel leviter ipsum cognovit, non facile in eo observavit singularem prorsus & eximiam animi modestiam & humilitatem, de se demisse, præclare de aliis sentientis?

In continuis fere adversæ valetudinis incurfibus mirificam patientiam, ac animi in Dei voluntate acquiescentis subjectionem? In variantibus fortunæ casibus semper eundem tenorem animi placidi, tranquilli, sereni servantem? Erga alios quam facilis, officiosus, benignus: sive illi consilio, quo maxime valuit, sive opera & opibus, quibus nequaquam pepercit, essent juvandi? In operibus charitatis & *συμπραξίας* quam promptus & largus, ab omni tamen ostentatione remotissimus? Nulli pravo affectui, nulli perversæ cupiditati obnoxius, sui semper similis, nec unquam mente quatiendus solida, quam sapienter & prudenter (quod vel in juniore non potui non frequenter admirari) omnia dicta factaque instituit? Vidisses eundem hominem recti tenacissimum & nullis machinis a veri, justi et æqui norma dimovendum, at mirifice facilem tamen comem & blandum, ut quam minimum offensæ daret, animosque exasperaret: Vidisses in eo equidem columbinam simplicitatem, pectus candidissimum apertissimumque: at singulari dexteritate miscens huic simplicitati serpentinam prudentiam: Vidisses inusitatam mentis perspicaciam & sagacitatem ad interiores rerum recessus perscrutandos plane factam: at ita se ad captum & indolem vel stupidissimorum attemperantem, ut cum pueris repuerascere videretur. Vidisses denique hominem ad magna natum, gravem, & nonnisi seriis deditum, in gratiam tamen aliorum ad humilia sese demittentem, dulcem suavemque.

Ejusmodi, ne jam alia addam, fuit GRYNÆUS noster, Exemplum singularis perspicaciæ  
et

& Eruditionis , cum acerrimo Pietatis genuinæ sensu studioque conjunctæ: Sed proh dolor, fuit! Evanuit ingens illa expectatio , quam tam raræ dotes virtutesque in animis omnium, quotquot recte judicare queunt , concitaverant. Placuit supremo rerum Arbitro , eundem brevi peracto curriculo ex hac sæce mortalium ad se evocatum, choro immortalium & purissimorum Geniorum, quibus similior erat , et societati amantissimi Servatoris nostri , quem assidue anhelabat, adjungere , ut *ubi esset ipse, ibidem & Servus ejus esset.* Convenit, ut quotquot dulcissimi Viri tristem a nobis discessum lugemus, in hac Sanctissima Numinis Voluntate acquiescamus, supplicibus rogantes votis, dignetur excitare Viros alios idoneos, si non pares Spiritu, at saltem non plane dispares GRYNÆO, qui curam Ecclesiæ, Veritatisque cœlestis propagationem serio & magnis animis ad Ejus honorem suscipiant.

\* \* \*

Suum quoque dolorem ob jacturam Amici ac Collegæ suavissimi his versibus explicuit Celebrerrimus FREY.

*Ergone, mi GRYNÆE, jaces lux splendida Seclī,  
Musarum & Charitum, Theiologumque Decus!*

*Tot raras animi dotes cui provida cura*

*Numinis & varias largiter attribuit:*

*Et Pietas Probitasque in cujus pectore fixit*

*Et Candor stabilem perpetuumque locum.*

*Ergo mihi posthac non conspiciendus abisti  
 Pars animæ melior dimidiumque meæ?  
 Visceribus qui me, qui oculis plus semper amasti,  
 Qui mihi visceribus charior atque oculis.  
 Et quis me doctum poscit Tibi scribere Carmen,  
 Carmen par meritis, dulcis Amice, Tuis?  
 Hei mihi! tam sævo percussus vulnere, pectus  
 Mente carens, stupidus quid nisi flere queam?  
 Te celebrent alii, queis Musa adspirat amica,  
 Queis animi vires ingenique valent.  
 Me miserum, tristi juvat indulgere dolori,  
 Flebo, nec assiduis finis erit lacrymis.*

